



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

93. An Capellanïæ, in quibus non intervenit auctoritas Ordinarii, impetrari possint in titulum beneficii, vel etiam permutari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

nil vetat quò minus etiam Capellania non collativa constituantur, sicut quodvis aliud pium legatum Episcopo approbante absque eo, quòd hæc approbatio ad hanc constitutionem sit necessaria, adeoque absque eo, quòd vi hujus approbationis ultro data, aut ex superabundante requisita erigatur in beneficium) teneat prohibitio illa testatoris, quòd Ordinarius non debeat se introumittere in illius provisionem; sed ea ad solos laicos spectet?

Respondeo negativè: Garc. p. 1. c. 2. n. 97. citans Gonz. loc. cit. n. 42. Lamb. de jurepatr. p. 1. l. 1. a. 10. Mandos: Covar. &c. quin imò si auctoritas Episcopi interveniat ad erigendam Cappellaniam in titulum & creandum beneficium, dicta conditio adhuc erit nulla, tamen si Episcopus ipse in ejus fundatione consenserit in talem conditionem. Garc. *ibidem* contra Gonz. videtur enim talis conditio contrariari ipsi naturæ beneficii. E-contra verò dicta auctoritate non interveniente non tantum tenet, & observanda est dicta conditio per fundatorem ipsum adjecta. Garc. *ibid.* n. 98. verum etiam, dum postquam testator ex assignatis bonis jussit annuatim, vel etiam (quod addo) hebdomatim dici tot missas per Clericum à certo patrono nominandum, patronus ipse primò adjecit dictam conditionem, quod facere poterit etiam declarando dictam Cappellaniam non esse servitium, sed potius memoriam seu anniversarium missarum; ita ut non solvatur subsidium, prout hoc solvi non debet ex talibus memoriis. Corrad. l. 1. c. 2. n. 24.

Questio 93. An Cappellania, in quibus non intervenit auctoritas Ordinarii, imperari possint in titulum beneficii, vel etiam permutari?

Respondeo ad utrumque negativè: utrumque patet: cum enim non sint beneficia, conferri in titulum beneficii nequeunt. Corrad. n. 26. Lott. l. 1. q. 5. n. 64. sed & propterea talis Cappellaniæ permutatio facta in manibus Ordinarii tanquam de beneficio Ecclesiastico, & hinc secuta collatio non subsistit. Corrad. *ibid.* citans Burat.

Questio 94. An in Capellaniis erectis auctoritate Episcopi in beneficium, teneat, quòd fundator ab earum administratione, curâ, & visitatione excludat Ordinarium?

Respondeo affirmativè; excepto casu negligentia. Trid. sess. 22. c. 8. & 9. Garc. cit. c. 2. n. 98. citans declarationem super hoc Pauli V. emanatam Anno 1606. Porrò non censetur exclusus à visitatione Ordinarius per hoc, quòd in fundatione alicui alteri (intellige absque exclusione positiva Ordinarii) simpliciter committatur visitatio. Garc. loc. cit. n. 99. & seq.

Questio 95. Num in Cappellaniis non collativis, dum aliter cautum non est à fun-

datore, Episcopus adhuc habeat jus visitandi?

Respondeo affirmativè: et si enim beneficia non sunt; sunt tamen opus pium, & sic possunt ab Episcopo visitari. Barb. de jure Eccl. l. 3. c. 5. n. 11 citans pro hoc AA. plures. Garc. n. 104. citans allegat. c. 8. & 9. sess. 22. Trid. contra Paris. l. 4. consil. 34. Gonz. loc. cit. n. 35. quem tamen ait n. 45. videri sentire contrarium.

Questio 96. Circa bona, super quibus fundata sunt hujusmodi Cappellania non collativa ex defectu auctoritatis Ordinarii, an sint spiritualizata per hoc, & non amplius laicalia; & num pacisci circa similes Cappellanas sit simonia?

Respondeo ad primò bona istiusmodi remanere & reputari bona laicalia, ac proinde subiecta potestati Principum, & Magistratum secularium; tamen si eis opera pia & missarum onera annexa sint. Barb. loc. cit. n. 6. citans ordinationem Regiam Lusit. Perez de Lara & alios; unde etiam n. 7. & 8. testatur tales Cappellanas privatà auctoritate institutas, tanquam profanas jure sanguinis aut hæreditario devolvi in Lusitania ad inftar fidei commissorum seu majoratum; successioneque harum Cappellaniarum in Hispania juxta regulas majoratum regulari. Et hinc quoque est, quòd dictis Cappellaniis imponi non possit subsidium bonis & redditibus Ecclesiasticis imponi solitum, ut insinat Garc. loc. cit. n. 105.

2. Responder ad secundum negativè. Barb. loc. cit. num. 3. ex Gonz. loc. cit. num. 25. nimirum pactum factum ratione talis Cappellaniæ absque auctoritate Pape non esse simoniacum ex eo, quòd Cappellania talis non sit quid spirituale, sed laicale & temporale, ut docent Guido Papa Decis. 187. Navar. consil. 5. de prob. n. 1. & alii apud Barb. loc. cit. n. 5. De Capellis etiam existentibus in Ecclesia quoad cæmента & ornamenta, ipsiunque situm materialem, ait de Luca in Miscel. d. 28. n. 12. quòd sint in hæreditate profana, & citra simoniam in commercio profano. Addit etiam de jurep. d. 53. n. 2. 3. & 5. non tantum jus presentandi ad dictas Cappellanas donari, sed etiam concessionem ipsius Capellæ & juris illius honorifici, quod ex Cappellarum usuali dominio resultat, fieri posse absque omni consensu Ordinarii; cum nihil detur spirituale, ut contingit, cum datur jus patronatus redolens formalem servitutem Ecclesiæ vel beneficii, sed solum usuale quoddam dominium, competens ratione rerum materialium, pretio æstimabilium, adeò ut veniat in hæreditate, vendique possit pro pretio ipsis materialibus proportionato absque aliqua spiritualitatis mixturâ, adeoque sine omni simonia; citatque pro hoc Rodriq. in qq. reg. q. 58. a. 2. Lott. l. 2. q. 4. n. 10. & seq. &c.

Questio 97. An Cappellania in eo, cui obveniunt, requirant Clericatum aut certam aetatem?

Respondeo primò: Cappellanas illas etiam sub nomine beneficiorum fundatas & nuncupatas, quæ institutæ sunt absque auctoritate Ordinarii, obvenire posse (ubi aliter cautum non est

est